

Letter 140: 20 July 1522, Wittenberg, Felix Ulscenius to Capito

The text of the letter is printed in Kolde, 37-8, from the manuscript in the Basel Universitätsbibliothek, Ki.Ar. 25a, 80.

S. D. Gratulor tibi, observandissime praeceptor, quod princeps tandem tuus praeter ferme omnium spem Christum aspirare coeperit, gaudet Melanchton te non operam lusisse in isto adeoque omnes boni. Deus, ut cum propheta orem, confirmet id quod operatus est in eo, huic uni gloria esto. Duos recepi aureos quos a Norinberga per magistrum Sebaldum mihi misisti, habeo
5 gratiam, olim [Gr.] antipelargein mello. Martinus mirabiliter incessit regem Angliae, qui nec Carolo quidem parcat, etiam in publico suggestu. Audimus enim eum male habere negocium Lutheri. Id quod Christi populus magni momenti habet, scilicet, se Martinus strenuum prestat evangelisten, et magistratus noster severissime animadvertit in flagiciosos qui evangelio scandalo sunt. Heri tres mulierculas parum honeste vitam agentes, item ingenuum iuvenem
10 propter aedium oppugnaciunculum civitate eiecit. Multae pro isto apud Melanchtonem amicorum preces factae, sed audire noluit. Volunt Martinus et Melanchton adulteros et blasphemantes ferro plecti, non etiam fures,¹ cuius sententiae et te quidem fuisse puto.

Melanchton iam in hoc enitur ut humaniores literae venerabilius apud nos quam hactenus excolantur, res, ut tibi constat, multo maxime necessaria. Suum quoque lexicon
15 graecum his absolvit diebus, proximis nundinis Anshelmo missurus, id enim Setzerus effecit, qui nuper ad Philippum concessit, operam rei medicae daturus. D. Iohannes Bogenhagius [sic], praesens praelector, puellam civem Witt. honestissimae vitae in uxorem duxit. Itidem Wetzsteiner Norinbergensis, qui cum Martino WORMATII in comitiis fuit, virginem uxorem duxit. De Erasmo, quem fama fert in Martinum scripturum, intellexi Martinum dixisse, etiamsi
20 aliquando sit in Christi doctrina foedissime lapsurus Erasmus, ei tamen non dubium esse quin post lapsum sibi redditus de ea rectissime sit sensurus. Hactenus enim nisi legis doctorem se praestitit et huius quidem nostratium calculo et purissimum et elegantissimum.

Io. Reinboldus iubet te salvare.

Wittenbergae 13. Kl. Augusti an. 22.

25 Felix Ulscenius tuus.

Philippus Eberbachius iuvenis facundissimus nuper se ad nos contulit. Hunc Melanchton propter eius candorem et miram festivitatem unice diligit, hunc prae ceteris lateri suo adiungit, adeo ut sit sibi loco fratris. Hic in feriam sextam Melanchtoni publica disputatione responsurus est, ad quam rem non nisi sibi familiarissimis uti solet; positiones erunt de iure gladii, quas modo
30 confecisset tibi misissem. Ille te plurima impertit salute, atque summo prosequitur studio, quod olim tam salubria abs te audierit monita.

¹ Kolde: feres; ms: fures.